


BIBLIOTEKA

Zakl. Nar. Im. Ossolińskich

XVI 1,215



L I T E R Æ
M O N I T O R I A L E S.

Illustris: at Reuerendis. D.
Auditoris Cameræ Apostolicæ circa
quartam partem funeralium.



I O A N N E S D O M I N I C V S *Spino'a*
Prothonotarius Apostolicus vtriusque signaturæ
Sanctissimi. D. N. Papæ Referendarius, nec non Cu-
riz causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Audi-
tor. Romanæque Curie Iudex Ordinarius. Sen-
tentiarum quoque & Censurarum tam in eadem
Romana Curia, quam extra eam latorum, ac literarum Aposto-
licarum quarumcunque vniuersalis & merus executor, ab eodem
Sanctissimo Domino nostro Papa specialiter deputatus,
V N I V E R S I S & singulis R. R. D. D. Abbatibus, Prioribus,
Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Scholasticis, Cantoribus, Cu-
rodibus, Thesaurariis, Sacristis, tam Cathedralium, quam Col-
legiatarum Ecclesiarum Rectoribus, earumque locum tenenti-
bus, Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, cæterisque
Præbyteris, Clericis, Notariis, & Tabellionibus publicis qui-
buscunque, illique vel illis, ad quem vel ad quos præfentes nostræ
literæ peruenerint, seu aliter quomodolibet presentabuntur,
Salutem in Domino, & nostris huiusmodi, imò vniuersis Apostoli-
cis firmiter obedire mandatis. N O V E R I T I S nuper pro parte &
ad instantiam Venerabilium Ordinum, & Religionum Minorum
Conuentualium S. Francisci, S. Augustini, ac Beatæ Mariæ Car-
melitarum,

Witoch
592

melitarum, illorumque Generalium Superiorum, Priorum, ac Fratrum illorum presentium fuisse coram Nobis comparitum, & expositum, quod licet ipsi exponentes eorumque Monasteria, Conuentus, domus, & loca ex Priuilegiis & indultis Apostolicis per summos Romanos Pontifices, præfatis ordinibus concessis, & confirmatis, fuerint atque hodie extant in pacifica & quieta possessione, vel quasi non soluendæ quartæ funeralium, & ob id a nemine potuerint vel possint desuper molestari, vexari, inquietari, & perturbari, aut in iudicium trahi, & conueniri, coram iudicibus ordinariis de partibus, à quorum iurisdictionibus pariter auctoritate Apostolica eximentur, & liberantur: Nihilominus nonnulli in executione presentium nominandi, & cognominandi nescitur quo iure, vel auctoritate suffulti iactant scilicet, & iactant præfatos exponen. ad solutionem dictæ quartæ funeralium cogere, & compellere, & desuper molestare, & inquietare, ac in iudicium trahere velle, & forsan molestare ceperunt, ac molestant, perturbantur & in iudicium trahuntur, contra omne iuris debitum, ac contra formam & dispositionem præsertorum indultorum Apostolicorum & in maximum eorum præiudicium, & detrimentum. **QVARE** de opportuno iuris remedio instanter requisiti, vobis omnibus, & singulis supradictis, & vestrum cuiuslibet in solidum tenore presentium committitur, & in virtute sanctæ obediencie strictè præcipiendo mandatur, etiam sub infra scriptis penis & censuris, quatenus statim visis, seu domi receptis presentibus, & postquam vigore presentium fueritis requisiti, seu aliter vestrum fuerit requisitus ex parte nostra imò verius Apostolica auctoritate moneatis, & requiratis, prout nos vigore presentium requirimus, & mandamus omnes & singulos in executione presentium nominandi & cognominandi quatenus infra sex dierum spacium, quorum sex dierum, duos pro primo, & peremptorio termino, ac trina monitione canonica assignamus. & vos assignetis etiam sub infra scriptis penis, & censuris, & sub mille

)(+)(

ducato.



XV - 1215 - IV

ducatorum auri de Camera locis piis arbitrio nostro applican. & pro illis mandari executiui, ac iniuris subsidium excommunicati-
onis, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis detentant & quilibet ipsorum debeat præfatos exponentes in pacifica & quie-
ta possessione, vel quasi non soluendi quartam funeralium vt supra
manutenuisse, defendisse, & conseruasse, ac manuteneri, defendi &
conseruari uidisse, & audiuisse, nec non ab omnibus & singulis
molestiis, iactationibus, vexationibus, inquietationibus, pertur-
bationibus, & impedimentis, in, & super prædicta solutione di-
ctæ Quartæ, quomodolibet, & qualitercunque illatis, vel infe-
rendis omnino destitisse, cessasse, & sese abstinuisse, ac destiti, ces-
sari, & abstineri fecisse, & curasse, & ipsos exponentes dictis Priui-
legiis, exemptionibus & libertatibus, ac indultis Apostolicis, vti,
frui, & gaudere libere permississe, & si quid prætendunt, id coram
Nobis, seu Reuerend. D. Locumtenente nostro peracta infra
scripti Notarij deduxisse, & allegasse, iulque & iustitiam fieri & ad-
ministrari uidisse, præmisso, & omni alio meliori modo & c: præ-
sentibusque nostris Monitorialibus literis, paruisse, & obediuisse,
deque partitione huiusmodi Nos quantocius certiorasse, & certifi-
casse, & in super inhibeatis, & inhibendo expresse præcipiatis, &
mandetis quos nos tenore præsentium inhibemus, præcipimus &
mandamus eisdem monitis, seu monendis, vniuersisque & singulis
DD. Iudicibus, & Commissariis, tam Ordinariis quam extra Or-
dinariis quacunque auctoritate fungentibus & functuris, ne visis
seu executis præsentibus, sub iam dictis sententiis, censuris, &
penis audeant, seu præsumant aut eorum aliquis audeat seu præ-
sumat, præfatos exponentes, in, de, & super præmissis, illorumque
causa, & occasione quoquomodo molestare, vexare, inquietare, &
perturbare, aut dictam quartam funeralium ab ipsis exponenti-
bus extorquere, aut ipsos exponentes alibi, quam in tribunali no-
stro, per acta infra scripti Notarij nostri conuenire, & in iudici-
um trahere per sese vel alium seu alios, sub quouis prætextu qua-
sito colore, causa, vel ingenio, quod si secus factum fuerit, id to-
tum reuo-

tum reuocare & in pristinum statum reducere curabimus, iustitia mediante. Alioquin si in præmissis se fore grauatos tulerint, compareant Romæ legitime coram nobis, siue in ciuilibus D. Locum tenente nostro in iudicio infra sexaginta dies causam eorum, grauaminis allegaturi, aliaque dicturi, & facturi prout iustitia suadebit, & ordo distauerationis. Certificantes eosdem sic admonitos, seu monendos quod si infra dictum terminum non comparuerint. Nos nihilominus, siue locum tenens noster præfatus, ad incursum penarum procedemus, siue procedet locum tenens noster iustitia mediante. Absolutionem vero in præmissis Nobis, vel superioris nostri tantummodo reseruamus. IN QUORVM omnium & Singulorum fidem has præsentés fieri, & infrascriptum Nostrum, & Curie nostræ Notarium subscribi, sigilliq; nostri, quo in talibus utimur iussimus, & fecimus a pensione muniti. Datum Romæ ex sedibus nostris, sub anno à Natiuitate Domini nostri Iesv Christi. Millesimo Sexcentesimo decimo quinto, In dicti one decima tertia, die vero trigesima mensis Iulij, tempore Pontificatus Sanctissimi in Christo patris, & D. N. D. Pauli Diuina prouidentia Papæ Quinti Anno eius Vndecimo.

Io. Dominicus Spesola auditor.

Julius Oliuellus Cur. Cam.
Apost. Notat.

Extractum fideliter ex suo Originali per me F. Hippolytum Liricium S. T. D. Franciscanum Conuentualem Secretarium quatuor Ordinum mendicantium, quod originale fideliter asseruatur in communi Archiuo Ordinum Mendicantium Cracouia.

De Sepul.

De Sepulturis.

Ipsis quoque Regularibus, non solum ex Priuilegio, verum etiam iure communi libera conceditur sepultura; ita vt vniuersi vtriusque sexus Christi fideles, apud eorum loca Cæmeteria, & Ecclesias illam sibi eligere valeant, ac eisdem Fratibus indulgetur, vt prædictorum Fidelium corpora, qui dum viuerent, apud eorumdem fratrum loca sepeliri mandarunt, processionaliter cum cruce, turribulo, & aqua benedicta, cantando seu legendo officium mortuorum, vel Psalmos, alienas ingredi possunt parrochias, indeque illa assumere, & ad suas deferre Ecclesias tumultanda, & præsertim quando præbyteri de leuatione requisiti hoc facere recusarent, licet super hoc fratres nullius licentiam petere teneantur. Quibus quidem præbyteris aliisque Religiosis districtè inhibetur ne inuitis fratribus aliquorum corpora defunctorum in eorum Cæmeteriis sepelire, aut in eorum Ecclesiis missarum solennia: vel pro animabus eorum, qui ad loca prædicta tumultanda feruntur, ibidem absque dictorum fratrum assensu, & voluntate exequias celebrare præsumant, neque etiam fratres ipsi, vel defunctorum consanguinei, possunt, cogi inuiti dicta corpora ad Parochial. Ecclesias, aut ad alia loca deferre, & cum illis, vel sine inibi celebrari facere pro eisdem defunctis, aliqua Diuina officia ante, vel post sepulturam eorumdem.

Marc Magnum Sixti Quarti Const. prima Extrauag. inter cunctas de pri. s. porro.

Clem. dudum, de Sepult. c. in nostra, eo. Tit.

Ex Confessio verbo de Sepulturis Titulo 19. Cap. 1.

Bonifacius VIII. vniuersis Religiosis, & secularibus Clericis cuiuscunque status, vel conditionis existant; in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub interminatione maledictionis æternæ, districtis sine prohibuit, ne aliquos ad vouendum iurandum, vel fide interposita, seu alias promittendum inducant vt apud eorum Ecclesias, sepulturam

sepulturam eligant, vel iam electam ulterius non immutent. Et si secus actum fuerit electionem talem decreuit nullius penitus exister e hrmicatis. Habetur in C. Animarum periculis, de sepul. turis libro. Sexto.

Bonifacius IX. Concessit fratribus Ordinis prædicatorum, vt possint ad domos quorumcumque decedentium, qui apud prædicatorum fratrum Ecclesias, elegerint, vel habere debuerint, cum cruce Turribulo, & luminariis aqua benedicta, & aliis cæremontis consuetis, etiam per aliorum parochias, personaliter accedere, & funera decedentium huiusmodi qui tempore vitæ suæ libere elegerint; vel alias debuerint, vt prætertur ad eorum Ecclesias portare, & inibi facere sepeliri.

Clemens IV. Concessit quod in Ecclesiis fratrum Minorum sit omnibus libera sepultura, vt eorum deuotioni, & Extremæ voluntati illorum, qui se illic sepelire deliberauerint, nullus obistere valeat: nisi excommunicati, vel publici vsurarii fuerint.

Sixtus Quartus declarauit suprascriptam concessionem Clementis Quarti. Quod fratres Minores habeant in Ecclesiis suis liberam sepulturam, sic debere intelligi. Quod fratres prædicti, nullius super hoc petita licentia, possint cum cruce processionaliter ingredi parochias, in quibus fuerint corpora defunctorum, ac corpora ipsa ad eorum Ecclesias sepelienda deferre, vbi hoc fieri consuetum foret, v. l. quando præsbiteri parochiales requisiti id facere recusauerint. Et voluit quod nec prædicti fratres, nec consanguinei defunctorum possint cogi (etiam prætextu cuiusvis consuetudinis) ad deferendum prius huiusmodi corpora ad Ecclesias parochiales aut alia loca, & inibi ante, vel post sepulturam, aliqua Diuina officia pro eisdem defunctis celebrare aut celebrari facere.


Idem Sixtus Quartus concessit, qui ob deuotionem cum habitu alicuius ex Ordinibus Mendicantium in morte se sepeliri mandant parentis, & sine pallio, aut alio tegumento ad sepulturam apud Ordinis Ecclesias deferri debent, & contra impediētes pœna excommunicationis statuitur.

In Ma-


In Mari Magno Const. prima Inn. 4. fol. 253. c. Religiosi de sepult. in 6.

Ex Compendio Priuilegiorum Mendicantium, verbo Sepultura. Capucini, & Confetty per F. Hippolitum Livicium. S. T. D. Ord. Min. Con. Secretarium Mendicantium extracta.






CRACOVIAE,
 Ex Officina, Nicolai Lobii,
 Anno Domini, 1615.



79
 490
 e



11,569

